



Ib. 34.

DE
MAXIMILI-
ANO II. IMP.
CÆSARE AVGV-
sto, Archiduce Au-
striæ, &c.

ORATIO

*Habita in Academia
Rostochiensi*

à

JOHANNE CYRIACO,
LIBERO BARONE in Pol-
haim & VVartenburg &c.
hoc tempore Rectore.

ROSTOCHII

6

STEPHANVS MYLIANDER
EXPRIMEBAT.

Anno 1577.

GENEROSO ET IL-
LVSTRI DOMINO, Dn. IO-
HANNI CYRIACO, LIBE-
RO BARONI in Polhaim &
VVartenburg &c. Academiæ
Rostochiensis Rectori ma-
gnifico. S.

REx Deus imperio qui reges ornat & armat
Vultq; sua agnoscit præstantes munera reges,
Reges laudi vehi, reges reuerenter habeti:
Vult quoque deflere præstantum funera regum.
Ergo tua est pietas summo gratissima regi
Inclyte magnifico Baro doctis munere Musis,
Qui patriæ patris generoso & pectore grato
Suavis in Aōniæ magna cum laude coronæ
Confessui, eloquio celebras post funera laudes
Qui caput Heroum Maxæmylianus & alter
Maximus Aemylius, virtute celebris auita.
Et patria clarus clementia, acumine mentis,
Iustitia, bonitate, fide notissimus orbi est.
Cæsar is in tanti partes & magna parentis
Munia, rege Deo, patria virtute Rodolphus
Filius augustis crescens successibus auctus
Floreat & felix oculus pectusq; suorum.
Qui dator es sceptri regumq; salutis es autor
Hoc da summe Deus rex inuictissime regum.

IOHANNES FREDERV.

ORATIO
DE
DIVO MAXIMILIANO
IMPERATORE CÆSARE
Augusto, Archiduce
Austriæ &c.

DEVS AVTOR ET CV-
stos Imperiorum, & ordinis po-
litici, ut Regna ipse constituit
& transfert: ita, donec vult ea
durare, & Legibus, discipli-
na, pace & alijs bonis & ornamentiis ciuili-
bus florere, Reges & Principes Heroicos, &
gentibus salutares, tribuit: in quos diuinæ
sapientiæ & virtutis sue radios illustres spar-
git: ut bonitatem & præsentiam ipsius in
Imperijs, grati agnoscamus & celebremus.
Non enim casu existunt & seruantur Impe-
ria: nec casu sapientes, iusti, moderati, fe-
lices ac salutares generi humano Reges ac
principes præficiuntur: sed ut mirandus
corporum cœlestium, & naturæ rerum ordo
pulcherrimus, DEV M, tanti operis effecto-
rem & architectum sapientem & benefi-

A 2

cum,

cum, clarissimè ostendit: sic politicus ordo,
Leges, Iudicia, pœnæ sotium, ac in primis
benefici & salutares Principes, Dei opera,
& prouidentiæ ac præsentiæ Dei inter nos,
grauissima testima nia sunt. Quare ad pie-
tatem & gratitudinem D E O debitam per-
tinet, ut Patriæ præsertim nostræ Principes,
Heroica virtute præstantes, velut eximia
dona D E I, & imaginem ac vices D E I
apud nos gerentes, tūm viuos, omnibus reue-
rentiæ & subiectionis officijs colamus: tūm
amissos, præcipuo quodam desiderio, luctu &
celebratione prosequamur.

Quòd si alias vñquam Boni & saluta-
ris generi humano Principis obitus, acerbis
omnium lacrymis deflendus fuit: nunc certè
Diuo M A X Æ M Y L I A N O II. Cæ-
sare, vno omnium sapientissimo & mode-
ratissimo, ex his terris sublato; casus acci-
diſe tristissimus, non Germaniæ solum vni-
uersæ, sed toti omnino Europæ, existiman-
dus est.

Imminent Germaniæ ceruicibus ab or-
tu Turcæ, vt antè quinquaginta annos Vn-
garorum, ita nunc Polonorum procerum, de

Regis

Regis noui electione dis̄idijs, toti Europæ
funestis, attracti. Ab occasu Hispani, qui-
bus nulla gens alia, hoc tempore, acrius &
maiori astu & fortitudine bellum gerit; flo-
rentissimos antea Belgici populos, totum iam
decennium adfligunt: & non secus ac in A-
mericam & Indiae regiones amplissimas,
& multas Italiæ arcis, ita in Belgicum quo-
que, gentis sue colonias deducere cœperunt.
Gallia aliquoties iam in sua crudeli conuer-
sa est viscera dextra: & dum Germanicis
copijs bellum ciuile utrinque trahit, conta-
gionem mali paulò post in viciniam propaga-
tura videtur. In Germanis ipsis, vetus
Germanica virtus languefacta luxu, & odijs
intestinis laborans, quotidie in peius ruit, &
retro sublapsa refertur.

Hoc periculosisimo vniuersæ Germaniae
statu, extinctum esse Oculum Imperij Chri-
stiani, Cæsarem Maxæmylianum, cuius
prudentia & moderatio incredibilis sola ca-
sus ambiguos temperare, & opem ferre rebus
labentibus poterat, iure dolemus. Et quan-
quam coniecit oculos Germania, in pater-
na virtutis & Imperij hæredem RODOL-

A 3 PHVM,

PHVM, cuius fidei & clementiae tutò se
committi censem: tamen ille etiam, patre ex-
tincto, se magnam sui partem amisisse, sen-
tit: & Patris sapientiam, & gerendi Impe-
rij longo iam usu confirmatam scientiam, re-
quirit & desiderat.

Me verò priuatim acerbius hunc tristem
casum deflere, arctior officij ratio cogit: quod
non solum communis pater & Dominus pa-
tria meæ, archiducatus Austriae, Cæsar Ma-
ximilianus fuit: verùm etiam me, anno
1558. Nonis Aprilibus in hanc lucem Vien-
næ editum, & tinctione sacra, Ecclesiæ Chri-
sti initiatum, suscepit: cum carissimum
Parentem meum MAXÆMYLIÆ-
NVM, à teneris annis secum in Austria
& Hispania educatum & eruditum, singu-
lari clementia & fide semper complexus
fuiisset.

Quare non secus ac patrem lugeo, ac
quod unum mihi relinquitur pietatis & gra-
titudinis declarandæ testimonium: qualis
cunque oratione, Imperatoris nostri vitam
& decora quedam eximia, breuiter comme-
morabo: ut DEVM autorem virtutum
Heret

*Heroicarum, quæ in Cæsare nostro prorsus
diuinæ fulserunt, celebrem: & gratam ac
iucundam nobis virtutum, & in vniuersam
republicam meritorum illius memoriam
esse, eamque religiose à nobis, etiam in hac
Academia, conseruari, & (quantum in no-
bis est) propagari, ostendam. Cumque u-
sitato more, Academiæ Legum recitationi,
aliquid præfandum esset: non intempesti-
uum nec ingratum fore duxi, custodis Legum
& discipline in toto Imperio præcipui ac
summi, historiam, hoc in loco potissimum
pronunciari.*

*Etsi autem constat, D E V M in Heroi-
cis bonorum Regum & Principum familijs,
quas reliquæ hominum multitudini regendas
& tuendas præfecit, virtutum Heroicarum
semina, & motus animorum generosiores
& feliores, ex maioribus in posteros pro-
pagare: ideoque magnum & excellens de-
cus esse iudicatur, ex nobilissima & He-
roica stirpe satum & procreatum esse: tamen
in nostro Imperatore, alia sunt propriarum
virtutum decora, longè maiora: tametsi ge-
neris etiam splendore, omnibus cæteris*

A 4

Orbis

orbis Christiani Regibus antecellit. Quæ
enim alia, præter hanc Archiducum Au-
striæ familiam, ad tanta dignitatum & am-
plissimarum gentium ac regnorum fastigia
euecta? & similis sapientiæ, iustitiæ, ma-
gnanimitatis, moderationis & felicitatis glo-
ria, vnquam cumulata est? Quæ vnica,
Decem iam orbi Christiano Cæsares Augu-
stos, continua penè serie, dedit? RODOL-
PHVM primum, qui sapientia & excelsi
animi fortitudine, felicitate & moderatione
sua, Imperium Germanicum, furijs Pontifi-
cum, & dissidijs Principum, & septendecim
annorum ævægxiæ penitus conuulsu[m] & la-
befactatum, antè trecentos annos, primus
restituit & recreauit. Et hunc secutos, fi-
lium ALBERTVM, & nepotem FRI-
DERICVM Pulchrum, Ludouici IIII.
collegam: & post Lucelburgicos, ALBER-
TV M II. Sigismundi Imperatoris gene-
rum, intra unius anni spaciū, tria poten-
tissima regna, Romanum, Vngaricum, &
Boemicum, legitima electione adeptum: eó-
que intra biennium extincto, sobrinum illius
FRIDERICVM III. quo nullus Im-
perato-

peratorum, post Augustum, diutius Imperio
prefuit, & qui postremus ex Germanicis
Imperatoribus, Romæ, coronam Imperij,
antè centum viginti quinq; annos, accepit.
Cui, Maxæmylianus I. filius: huic nepotes
CAROLVS V. & **FERDINANDVS**, nostri **MAXÆMYLIANI** pa-
ter, successit: qui superiore anno, **RODOLPHVM** filium, decimum à Rodolpho Habs-
burgensi (qui fastigium dignitatis Cesareæ
primus in hanc familiam attulit) se viuo eli-
gi Imperatorem, singulari haud dubiè **DEI**
constituentis & transferentis Imperia, con-
silio & beneficio erga Germaniam eximio,
curauit.

Quid autem honorificentius & glorio-
sius cogitari potest, quām tot gentium Orbis
Christiani principes ac populos, tantum vir-
tutis, sapientiæ, magnitudinis animi, mode-
rationis & industria, vni huic familiæ, tot
iam seculis, consentientibus iudicijs, tribuere:
vt suam libertatem, vitam, fortunas & sa-
lutem, Archiducum Austriæ potissimum
fidei & tutelæ, tutò committi arbitren-
tur?

A 5

Natus

Natus est autem Maxæmylianus II.
Imperator, VIENNÆ Austriæ, anno
1527. die prima Augusti, Patre Ferdinando
Rege Romanorum, Vngariæ, Boiemiae, &
archiduce Austriæ, &c. De cuius virtu-
tum verè Heroicarum, & magno ac optimo
Rege dignissimarum, laudibus, Orationem,
in hac Academia editam, & aliam fune-
brem à Iohanne Mathesio eruditè & suauissi-
mè scriptam, omnibus familiarissimè notas
esse optarim. Mater Maxæmyliani AN-
NA, nobilissimi Poloniæ & Vngariæ re-
gis Vladislai filia fuit: verè ταμίαιον αρχετύπιον
γυναικῶν: quæ Pietatis & benignitatis
erga pauperes suæ, monumentum illustre ad
posteritatem, Hospitale amplum & locu-
ples, Viennæ condidit: & vicesimo post na-
tum Maxæmylianum anno, Pragæ decedens,
duodecim liberos superstites Ferdinandō re-
liquit,

Ab his nobilissimis parentibus, non vi-
tam solummodo, & amplissimarum regio-
num hæreditatem, verùm etiam regiarum
virtutum omnium exempla & semina
Maxæ-

Maxæmylianus, admiranda & verè Heroica indole, & excellentis ingenij præstantia diuinitus ornatus, accepit. Cumque natu-
ram indolem sua sponte ad decus excitatam,
educationis & disciplinæ sanctitas, & ad
omnia virtutum officia assuefactio accurata,
& literarum humanitatis cultura diligens
accenderet atque expoliret: preclara illa &
singularis, & omnium Principum ac pri-
uatorum benevolentiam & studia mirifica
sibi concilians, naturæ doctrina & virtute
exulta bonitas & præstantia extitit: ut ve-
rè & meritò Amor & Deliciae generis hu-
mani, publicis elogijs postea appellatus fit.

Puer cum generosis aliquot adolescenti-
bus, inter quos Pater etiam meus Maxæmy-
lianus, Liber Baro à Polhaim & VVarten-
burg, fuit, ad patrum CARolum V. Imp.
in Hispaniam missus est: ut cum filio illius
Philippo, ætate fere æquali, (nam & ille
anno 1527. die vicesimo primo Maij, ex Isa-
bella Emanuelis Lusitaniæ regis filia, natus
erat) in bonis literis & alijs artibus, in gu-
bernatione ipsis postea vsui futuris, erudire-
tur.

tur. Vbi Carolus, qui sapientia & potentia
omnes suæ etatis Reges, & superiorum ali-
quot seculorum Cæsares antecelluit: indo-
lem nepotis verè regiam, amantem verita-
tis, iusticiæ, temperantiæ, modestiæ, comita-
tis, mansuetudinis, & ad amorem admira-
tionemque sui, animos familiarium mirifice
rapiēt, & in omni officio & actione
dexteritatem & industriam, adeo proba-
uit, ut in familiaribus congreſſibus aliquoties
Maxæmylianum, si præclare inchoatum vir-
tutis cursum, deinceps, ut cœpisset, urgeret:
filij loco sibi futurum esse diceret. idq; postea,
hoc sibi genero potissimum ex omnibus Euro-
pæ Regib; delecto, re ipsa comprobaret.

Primum in re militari tyrocinium fecit
Maxæmylianus, bello Gallico, anni 1544.
& postea Germanico, quod Carolus Cæsar
aduersus Principes aliquot & Ciuitates
Imperij confæderatos, prætextu Euangelij,
multa licentius in occupandis aliorum Prin-
cipum & episcoporum ditionibus, & bonis
ecclesiasticis, sibi sumentes, anno 1546.
suscepit: in quo à latere Imperatoris & pa-
trui

trui sui ille nunquam discedens, magni &
fortis animi, ac virtutis Heroicæ documenta
illustria, edidit: & præcipuis consilijs &
actionibus in bello, & parta victoria, in rece-
ptione supplicum, interfuit.

Comitia etiam Augustana, statim post
captos confœderatorum Duces, in autumno
 anni 1547. indicta, Carolus Cæsar, Maxæ-
myliani oratione inchoari voluit, antequam
visitato more, capita ad deliberandum propo-
sita per scribam prælegerentur. Cumq; Ma-
xæmylianum generum multò antè delegisset,
& amplissima Hispaniarum regna, absente
filio Philippo, quem in Germaniam euocare,
& Belgici populos sacramento fidelitatis ipsi
obstringere decreuerat: per Maxæmylianum
regio nomine administrari interea voluisse:
ex illis ipsis Comitijs, anno 1548, in Hispa-
niam Maxæmylianus profectus est. ubi du-
cta in matrimonium Caroli filia Maria, in-
tegrum triennium Hispanias saceri vice gu-
bernauit, & suscepis iam ex eo coniugio duo-
bus liberis, exeunte anno 1551. per Genuam
& Tridentum, ubi concilium paulò antè in-
stauratum fuerat, ad sacerum Carolum V.

OEnipon-

OEniponte tunc, pro concilio excubantem:
¶ ad patrem Ferdinandum, in Archidu-
catum Austriae, initio anni 1552. reuer-
sus est.

Vbi statim in Germania, noui belli con-
silia aduersus imperatorem Carolum agitari,
tuendæ religionis harum Ecclesiarum, ¶
Germanicæ libertatis, ¶ captiuorum Prin-
cipum liberationis causa suscipiendi, cogno-
uit. Quod cum paulò post mense Martio,
Ducibus Mauritio electore Saxoniae, Iohan-
ne Alberto Megapolense, ¶ VVilhelmo
Landgrauio Hassiae, confederatis Henrico
Galliæ regi, palam gereretur :

Primum Maxæmyliani in Germaniam
reuersi πολιτευμæ fuit Pacificatio Passa-
uiensis, quæ fundamentum ¶ firmamentum
publicæ salutis ¶ tranquillitatis Germanici
Imperij, in hodiernum usque diem extitit,
¶ deinceps ad omnem posteritatem, D E O
iuante futura est. Nam in ea belli diffi-
cillimi ¶ periculosisimi, ¶ ad totam for-
mam Imperij ¶ ecclesiarum in Germania
mutandam spectantis, compositione, et si
summa Caroli Cæsaris ¶ Ferdinandi patris,
Princi-

Principis optimi, & patriæ amantissimi au-
toritas, tamen præcipue etiam Maxæmylia-
ni filij, partes fuerunt, quem ad moderatio-
nem, humanitatem, clementiam, studium
tranquillitatis & concordie publicæ, & cæ-
teras pacis artes natura ipsa finxerat. Etsi
enim ad delendas has Ecclesiæ, et ad sœuiciem
ac crudelitatem aduersus eos qui Lutheri con-
fessionem amplectuntur, exercendam, Caro-
lus Imp. & frater Ferdinandus, inde ab ini-
tio sue gubernationis, à Pontifice & ipsius
cohorte, miris artibus incitati erant: ita ut
terrible anathematis Cæsarei fulmen, in pri-
mis comitijs VVormatiensibus, aduersus Lu-
therum & omnes ipsi coniunctos vibrarent:
tamen executionem illius, totos viginti quin-
que annos protrahentes, non armis dijudica-
re religionis controversias potius, quam mi-
tioribus remedij tentare curationem vulne-
rum Ecclesiæ, maluerunt: donec belli Ger-
manici occasionem speciosam, in punienda
quorundam, alienas regiones, religionis præ-
textu, inuidentium, petulantia & uulgus,
adepti sunt. Post quam victoriam, cum
Ecclesiæ Germaniæ dissidentes infeliciter
propo-

proposita Forma religionis Interim usque ad Concilij finem seruanda, rursum coniungere, & non assentientes vi compellere, instituis- sent: idque violentum consilium reipsa com- perissent infaustum, & Ecclesiis vastitatem, & concordiae ac saluti Germaniae exitium allaturum esse: denuò ad mitiora illa, quæ primùm usurpauerant, remedia decurre- runt: & constituta ac firmata Pace Passau- ensi, ne cui religionis nomine vis unquam in- ferretur, sanciuérunt.

In hæc laudatissimorum Principum, Ca- roli patrui, & patris Ferdinandi, publicam Imperij & totius Germanie salutem & pa- cem magis, quam odia & cupiditates ponti- ficum crudeles, vel priuatas utilitates spe- clantium, consilia & exempla gubernacione intuens Cæsar Maxæmylianus: totos illos duodecim annos, quibus post pacem Passauensem cum patre in Austria vixit, & po- stea cum patri, anno 1564. die 25. Julij, ex hoc terreno & mortali Imperio, ad æternum & cœlestè regnum euocato, in tota Imperij gubernatione successit: nihil antiquius aut prius,

prius, Iustitia & pace publica, & Imperij
ac Ecclesiarum tranquillitate & salute po-
puli, habuit.

Ad Imperium publicis omnium homi-
num optatis, precibus & votis, & promptissi-
mis cunctorum Principum suffragijs, electus
est: cum mirifica Heroicæ bonitatis, sapien-
tiæ, moderationis, affabilitatis, & cætera-
rum virtutum suauitas & pulchritudo, in
omnium animis & oculis fulgens, omnium
corda sibi deuinxiſſet, nec ullæ crudelitatis
aut iniuriæ ſuspicio de illo, in ullius animo
hæreret. Itaque non toto anno vertente, tri-
um regnorum coronam, Boiemici, (anno
1562. die 20. Septembris, Pragæ:) Romani,
(die 30. Nouembris proximè sequente, Fran-
coforti:) Vngarici, (die 8. Septembris, anni
1563. Posonyj,) præſente patre, & duobus
fratribus Ferdinandο & Carolo archiduci-
bus Austriae, acceperat: & populis illis, ſpon-
te & cupidè eum expertentibus & volentibus
imperauit. ac singulari diligentia, modera-
tione & prudentia, conceptam de ſe tot gen-
tium expectationem, præclarè ſustinuit. Me-
mor enim dicti Salomonis: Iustitia & veri-

B

tas cu-

tas custodiunt Regem, & clementia stabilitur thronus eius: primam & potissimum conseruationis legum, iustitiae & pacis in toto imperio curam habuit. & ubique ius, fas, leges: non iniurias, vim & arma, vigere & dominari voluit. Cum autem norma iusta gubernationis sit LEX DEI, aeterno & immoto septo iusta & iniusta discernens, & extructe inde leges imperiorum politicæ, quæ honestè viuendi, & alterum non lăendī, & ius suum cuique tribuendi, normam præscribunt: non modò supremum in Germanico Imperio tribunal Spirense, verùm in omnibus etiam alijs reynis & ditionibus suis, Senatus iudicūm, sapientia, doctrina, & iustitiae ac veritatis amore præstantium, à patre institutos, retinuit & confirmauit: ut legum & iustitiae custodes & executores seueri & vigilantes, in singulis prouincijs excubarent. Hæc iudicia, non solum ciuilis hominum societatis & pacis publicæ nervos & munimenta esse: verùm etiam de iudicio & sapientia ac iustitia DEI, in voce Legum, & pœnis discernentibus iustos ab iniustis, lucente, subditos commonefacere voluit.

Quan-

Quanta verò in grauioribus, quæ ad
aulam Augustam delatae sunt, principum
& ciuitatum controvërsiis cognoscendis di-
ligentia, & iuste dirimendis æquitas, & im-
becillioribus aduersus potentum iniurias de-
fendendis autoritas Imperatoris nostri fuerit:
multa exempla recensere possem. Sed in-
grati essemus, nisi hanc præcipue ciuitatem,
que studijs nostris hospicium præbet, occasio-
ne ciuilis discordiæ, proximis superioribus an-
nis grauissimè afflictam, & oppressa liberta-
te & salute publica prorsus conuulsam &
labefactatam, solius Imperatoris iustitia &
autoritate, & Illustrissimorum Ducum Me-
gapolensium clementia, pristinum decus Deo
iuante recuperasse confiteremur.

Semper autem transactionibus amicis,
æquitate utrinque proposita, potius quam
sententiæ iudicialis asperitate, contentiones
partium decidi maluit: monens litigan-
tes utrinque, ut aliquantum de suo iure ce-
dere, & partem relinquere potius vellent,
quam longa iudiciarij processus tela institu-
ta, sumptus duplo grauiores in causidicos im-

B 2 pendere,

pendere, & sibi molestias, labores & curas
augere: & odia familiarum, quæ ad Rei-
publicæ perniciem postea erumperent, in-
flammare: & alia negocia sua magis neces-
saria, & reipub. salutaria, impedire. Sic
viuente adhuc patre, grauissimas disceptatio-
nes inter principem Hassiæ & Nassœensem,
de comitatu Cattorum: & postea inter to-
tam domum Brandeburgicam & Noriber-
genses, qui regionem Marchionis Alberti oc-
cuparant, & arces demoliti fuerant: & a-
lias multas, singulari æquitate diremit.

Nec tamen lentus erat in coercendis &
seuerè puniendis contumacibus & improbis,
vbi mitioribus remedijs locum non amplius
eſſe animaduertit: sicut in proscriptione &
pœna Centaurorum, qui Heripolin ex insi-
dijs captam diripuerant, & Principis, qui
receptum illis præbebat, bello capti, ostendit.
In qua execuzione, nihilominus summi iu-
ris rigorem, singulari clementia & lenitate
temperauit; dum paulò post, principis capti-
ui filijs, amissam hæreditatem paternam, be-
nigne restituit. Ut enim in D E O supra
cæteras

cæteras virtutes, Bonitas & misericordia
præcipue enitet ac effulget: ita summi reges
& principes, quò ad DEI optimi maximi,
cuius vices in his terris gerunt, similitudi-
nem proprius accedunt; eò magis diuinæ &
laetægætæ, clementiae & placabilitatis effi-
giem, in his terris repræsentare debent.

Atque utinam cæteri huius etatis prin-
cipes, tūm reliquas Maxæmyiani nostri vir-
tutes, tūm vero Bonitatem natuam, & mo-
derationem ac clementiam verè regiam, &
publicæ subditorum salutis curam, in suis a-
ctionibus, iudicijs, moribus, sententijs, vul-
tu etiam & sermone omni, lucere & conspi-
ci paterentur: ut quem à DEO principem
& patrem accepissent, eundem etiam vita
& moribus exprimere & referre studerent.

Vnica semper Imperatori nostro publi-
cæ salutis cura præcipua & summa fuit.
Ac vt bonus paterfamilias, paterna solici-
tudine, diligentia & fide hoc unum agit, vt
familiæ, pietatem, pudorem, pacem colenti,
benè sit: sic noster Imperator, exemplo suo,
Bonum principem, nihil à patre bono differ-

re, nec sibi, sed Christo summo regi, & Christiano populo, se imperium gerere ostendit. Itaque priuatas iniurias multas & magnas, excelsa animo, publicae saluti condonauit. Nec unquam ira, vel cupiditas vindictæ, vel ambitione cum impulit, ut alienum à iusti & moderati principis officio quicquam admitteret, aut tranquillitatem communem turbaret.

Etsi autem ad vulgus imperitum, in maiori admiratione sunt, clarissime cernuntur res bello gestæ, hostium acies viæ, prouinciae armis imperio adiunctæ: Non enim considerat vulgus, nec satis intelligit, pacem optimam rerum, Quas homini nouisse datum est, ut poëtæ verbis utar: Pacem unam triumphis innumeris potiorem esse: tamen cum belli ærumne, ipsa morte tristiores, & omniū optimarum rerum perniciem & vastitatem afferentes, incumbunt: tum demum amissa pacis commoda serò dolens & desiderans, discit, longè utiliores reipublicæ, felici etiam bello, & naturæ hominum conuenientiores esse Togatas virtutes & Pacis artes: cum Principes nihil prius & antiquius populi salute habent: cum saui pectoris æstus atque animum

nimum vindictæ cupidum cohident: cùm pri-
uatæ existimationi & gloriæ, publicam po-
puli utilitatem anterunt: cùm ratione &
consilio prohibent, ne res ad bellum deduca-
tur, aut excitata iam bellorum incendia, ex-
tinguunt, & ciuiles dissensiones sine ciuili
sanguine componunt. Id verè est, ut in Se-
neca dicitur:

Consulere patriæ, parcere ciuibus,
Fera cæde abstinere, mores regere,
Reddere orbi quietem, seculo pacem suo,
Hæc summa virtus, peritur hac cœlum via.

Hæc virtus Imperatorem Augustum,
sub cuius Imperio pacem toto orbe salutarem
tuente, Christus princeps pacis & salutis
eternæ nasci voluit, cuius proprium sym-
bolon est: Βούλωμ' ἐγώ λαζάρος Θόρη εμπλοναι
τὸ ἀπολέσθαι: præcipue nobilitauit. qui vt
Scipio, unum ciuem seruare, quam multos
hostes trucidare maluit.

Laudatur Pericles, qui, prædicantibus
amicis ipsius victorias & trophyæ de hostibus
parta, dixit, se bellicas laudes, non suæ sed mi-
litum etiam virtuti & fortunæ tribuere: ve-
rūm de hoc trophyo, tanquam propriè sua,

B 4 potissi

potissimum se gloriari, quod nemo ciuium unquam sua causa nigrā vestem induisset: significans nunquam se priuatas iniurias cum ciuium incommodo vindicasse. Verè enim ut sapientissimus rex Salomon inquit: Melior est patiens, quam bellicosus, & præstantior est qui regit & frēnat vehementes animi impetus, quam qui urbes expugnat.

Multò autem iustius Pericle, noster Imperator gloriari potest, sc̄ (turbulentiissimis Germaniæ tempestatibus, animis utrinque propter religionis dissensiones, odio exacerbatis, & tristissima cæde sacerdotum & ciuium in utraque parte, & totius ecclesiastice disciplinæ & doctrinæ interitu, aliquoties impendente,) non modò iniurias priuatas non cum Reipublicæ periculo vltum esse; verùm etiam pericolosissima dissidia, saepe singulari æquitate & moderatione, sine ciuium cæde, sustulisse.

Cum igitur iustus, clemens, benignus & pacificus Imperator eset: à bonis omnibus diligebatur, & hoc munitus præsidio, magis quam vi & armis alijs, ferocioribus formidabilis erat.

Princip

Principes Electores, ut fratres dilige-
bat, nec in negocijs Imperij grauioribus, quic-
quam sine eorum consilio agebat. In primis
verò Augustum Saxoniæ Electorem, cuius
fides, integritas, constantia, & in magnis re-
bus gerendis industria, & efficacitas, illi præ-
ceteris perspecta & probata erat: singulari
amore & veneratione complectebatur. Qui
vicissim Dominum & Imperatorem suum,
velut patrem colebat: & autoritatem ac
sententias illius, communi Senatus Electro-
rum suffragio latas, fideliter ac feliciter tue-
batur. Adiunxerat ei DEVS domesti-
cos etiam consiliorum & laborum socios, sa-
pientes, iustos, magnanimos & felices: quo-
rum virtus magno ipsi præsidio & ornamen-
to erat, & autoritatem eius in populo auge-
bat. Inter quos LAZARI Suendij He-
roica fortitudo & felicitas, in armis & toga-
ta gubernatione, publicis historiarum monu-
mentis, celebrata est. Nota etiam omni-
bus eruditis est sapientia, fides & industria
Baronis STREINI, quo Præsidente Ca-
meræ, inter domesticos amicos familiarissime
Imperator usus est: & HENRICI Sta-

renbergij, quem in hac ipsa urbe legatum
multi viderunt. ut de ceteris, huic Germa-
niæ parti ignotis, taceam, quorum singulis in-
gulis regnis ornamenro esse poterant.

Talis politica Imperatoris nostri guber-
natio fuit. qua Religionis veræ studia & pu-
ram Euangelij doctrinam in his Ecclesijs so-
nantem, adeo non impediuit, ut dolendum
potius sit, pace illa aurea, & libertate Reli-
gionis veræ, ab optimis Imperatoribus, Caro-
lo, Ferdinando, & Maxæmylano concessa,
multos, non ad colenda ardenter pectore pie-
tatis, fidei & Inuocationis veræ exercitia:
sed ad inutilium & ambicioſarum disputa-
tionum rixas, & contentiones augendas, ab-
usos esse.

Nam post constitutam transactione Pas-
sauensi, & in comicijs Augustanis anni
1555. sanctam à toto Imperio & confirma-
tam Religionis pacem, Ferdinandus Impera-
tor, et si sincero & simplici animo pontificie
Ecclesiæ dogmata & ritus ipse sequebatur:
tamen docendo & suadendo potius, quam vi
& armis cogendo, flecti animos ad religio-
nem

nem oportere iudicauit. nec cuiusquam subditorum, in hereditarijs etiam ditionibus, conscientiam onerare voluit, ut vel probarent, velagerent religionis causa aliud, quam verum & rectum esse sentirent. Ipse etiam quosdam Ecclesiæ pontificiæ abusus, corrigi legitimis & moderatis rationibus: nec tamen autoritatem & ordinem politiæ ecclesiastice pulcherrimum labefactari, optabat.

Itaque cum Austriaci usum utriusque speciei Cœnæ Dominicæ publicum, & alia Religionis capita, in Augustana Confessione exposita, sibi concedi flagitarent: Ferdinandus non modò ipse capita illa ac rationes petitæ emendationis abusuum, considerabat: sed, cum Græcæ etiam Ecclesiæ testimonium allegari audiret, Urbanum Gurensem episcopum, Venetias, hac una de causa præcipue misit, ut in Ecclesia Græcorum morem distribuendæ utriusque partis sacramenti, & sententiam de illo doctrinæ capite, exploraret. Et in Synodo Tridentina per suos Oratores diligentissime institit & ursit, ut Austria-

Austriacarum regionum populis integro sacramento vti, concessione Pontificis liceret. Etsi autem adeo perspicua & manifesta de hoc articulo veritas est, ut nulla vi infirmari possit: tamen Synodus nihil ea in re decernere ausa, rem integrum ad pontificem Pium IV. reiecit: qui tandem die 16. Aprilis, anni 1564. Archiepiscopo Salisburgensi diploma mittit, quo facultatem in Austria & Bauaria, exhibenda Laicis utriusque speciei, certis tamen conditionibus circumscriptam, permittit. Quod cum paulò ante mortem Ferdinandus accepisset, se valde lætari eo beneficio, & gratias D E O agere vero pectore ostendit: & de cæteris etiam capitibus controversis, viam concordiae idoneam, Pontificis assensu iniri posse optauit.

Cum autem sub Ferdinandi Imperio, plerique proceres archiducatus Austriae, ministros Euangelij, confessionem Augustae Carolo Imperatori exhibitam, profitentes, conduxisserent: & in his multi turbulentiores, ex cæteris Germaniae partibus, alijs alijs de causis dimissi, eò tanquam ad asylum confluenter:

fluerent: & prætextu libertatis Euangelicæ multa, in publicis moribus Ecclesiæ, inconsideratè mutarent & tumultuosè vociferarentur: Maxæmylianus Imperator, cùm patris exemplo, Doctrinam in Augustanæ Confessionis capitibus moderatissimè proposi- tam, subditis eam sequi volentibus, non prohibendam esse: & tamen avæxiæ illam, & temeritatem inquietorum, insingulis fere pagis, peculiarem doctrinæ & rituum formam instituentem, coerceri oportere iudicaret: tandem diu multumque instantibus & subiectissimè orantibus Dynastis & nobilibus Austriacis, liberum Confessionis Augustanæ exercitium, in ipsorum templis & familijs, anno Christi 1568. die 18. Augusti permisit, hac tamen conditione, ut ordinem Doctrinæ & rituum totius administratio- nis Ecclesiastice certum, & cum harum re- gionum ecclesiis congruentem, seruarent.

Ad eam deliberationem, duos potissi- mūm, ex his Ecclesiis, spectatæ fidei & do- ctrinæ viros: ex Academia Lipsica, Ioachi- mum Camerarium; & hac Rostochiensi,
Dauidem

Dauidem Chytreum, adhibendos esse Imperator censuit. Ut autem Imp. promissionem semel prouincialibus suis factam constanter seruauit: ita toto pectore opto, ut Docentes in Ecclesiis meæ patriæ, ingens hoc DEI & Imperatoris beneficium, grata mente ac voce agnoscant: puram Euangelij doctrinam grauiter & modestè propagent: & veritatem ac pacem diligent: nec intestinis dissidijs animos gubernatorum denuò alienent.

Nunc de interiore etiam Imperatoris nostri vita & consuetudine domestica dicam, quæ optimi ordinis & plurimarum virtutum plena fuit. Distinctè & ratione certa domi distributa habebat Tempora omnium actionum, precum, deliberationum, subscriptionum, prandij, cœnæ, somni, venationum. In consilijs summa iustitia & salutis publicæ cura, & in audiendis aliorum sententijs moderatio & lenitas erat. In prandio, quod usitata & certa hora sumebat, hilares & lepidi sermones cum astantibus, singularis in vietu temperantia & sobrietas, summa ciuitas & elegantia morum, conspicba-

ciebatur. A prandio patebat ad ipsum
mensæ astantem, vel propè assidentem, adi-
tus, omnibus omnium ordinum, etiam hu-
milimæ & abieclissimæ conditionis homini-
bus, qui eum alloqui volebant, aut supplices
libellos porrigebant. His singulis coniter
& placidè, eadem lingua, qua proponeban-
tur negotia, respondebat. Ut enim ingenio-
ssimus & potentissimus rex Mithridates,
olim, singulis diuersissimarum gentium po-
pulis, Imperio suo subiectis, patria lingua
locutus esse scribitur: ita noster Impera-
tor, Hispanos, Italos, Gallos, Germanos,
Belgas, Boëmos, Pannones, & latine lo-
quentes, rectè intelligebat, & singulorum
linguas, perinde ac si nativæ essent, calle-
bat. Latina certè oratione non tantum
perspicua & diserta, verùm etiam eleganti
& pura, & expeditè profluente, usum esse
constat. Postea aliquantulum temporis quie-
ti aut hortorum inspectioni tribuit. Ante
cœnam, rursus vel deliberationibus vacabat,
vel recitantes literas, de responsis antea de-
cretis formatas audiebat, & subscriptione
sua confirmabat.

Coniu-

Coniugem habuit, ut supra memini,
Mariam filiam Caroli V. Imperatoris pri-
mogenitam, qui sapientia & potentia, omni-
bus suæ etatis regibus antecelluit, natam ex
Isabella filia Emanuelis Regis Lusitanie, qui
primus, vniuersæ Africæ, Arabiæ felicis &
Indiæ litoribus classe sua exploratis, amplif-
sum in Oriente Imperium, Francisci Al-
meidae, & Alfonsi Albuquerçij Ducum vir-
tute & felicitate Heroica, potissimum con-
stituit. De cuius vita & rebus in India
præcipue gestis, duodecim Ieronymi Osorij li-
bros, non sine voluptate & admiratione sum-
ma, studiosi legent.

Fuit autem coniugium nostri Imperato-
ris castum, dulce & fœcundum, ex quo no-
uem filios, & aliquot filias, ac in his An-
nam, Philippo regi Hispaniæ auunculo, &
Elisabetham Carolo IX. Galliæ regi, in
Comitijs Spirensibus, anno 1570. elocatam
suscepit.

Filios disciplina honestissima, & om-
nium artium, que adolescentibus, ad sum-
ma imperia natis, usui & præsidio futuræ
erant,

erant, tyrocinij erudiri & exerceri, non
minore cura & diligentia curauit, quam
laudatissimos illos Persarum Reges olim
educari solitos, Xenophon in Cyri paedie,
& Plato in Alcibiade memorant.

Studia etiam literarum, & Academias, in quibus ad usum reipublicae & ecclie ingenia erudiuntur & preparantur, clementer & munificè Imperator noster fouit, & homines eximia virtute & doctrina præstantes, honorifice ornauit. Aulam eruditissimis hominibus, politicis, mathematicis, historicis, poëtis, medicis, nulli Academie cedentem habuit. ac VIENNAM in primis, antiquissimum ac splendidissimum in Germania domicilium Legum, Gymnasium literarum, Curiam dignatum, Apicem imperij, Patriam libertatis, doctrinæ, virtutis & cæterorum vitæ ciuilis ornatorum, præ cæteris totius Imperij urbibus amauit, & frequenter incoluit.

Feliciar autem in toga quam in armis
fuit. Vnicam enim omnino expeditionem

C. belli-

bellicam, post prima Imperij sui comitia,
anno 1566. Auguste habita, ipse in Vn-
gariam suscepit, ut aduersus Solymannum
Turcarum tyrannum, senem, iuuenili
ferocia, ignem & minas aduersus nouum
Imperatorem Christiani orbis spirantem,
& immensas copias ducentem, ab Imperij
finibus arceret. in qua expeditione, senex
tyrannus Turcicus ante captum Zyget-
tum, anno etatis 78. mortem cum vita
commutauit: ut Seleucus Syriæ rex olim
eundem etatis annum agens, à Ptolemeo
Cerauno in acie cæsus est, cum paulò ante
Antigonus Asiæ regem octogenarium, &
Lysimachum non multò etate inferiorem
in acie trucidasset. Hæc in decrepita ferè
etate, excelsi animi & vigoris militaris
exempla, quò in historijs rariora, eò in
præsentis etiam belli mentione memorabi-
liora sunt.

Cum autem Turcici exercitus amissos
Imperatore Solymanno, in Thraciam re-
dirent; Maxemylianus etiam, exeunte
Octobri, Viennam reuersus est: & facta
cum

cum Selymo, Solymanni filio, pace, ut subditorum sibi populorum tranquillitati, fortunis & vitæ parceret; constanter eam deinceps usque ad Selymi mortem, & Amurathis initia seruauit. donec seditionis Polonicorum aliquot procerum, à maiore & meliore Senatus Regni parte (quæ Maxæmylianum nostrum exeunte anno 1575. Regem elegerat) discedentium consilijs & molitionibus, regno Poloniæ, & vicinis gentibus Christianis, magna haud dubiè cladem & dedecus paulò post allaturis, Amurathes Selymi successor, commotus, ingentes copias in Vngariam misit, ut Gubernatori Poloniæ à se constituto, si requireret, auxilium ferrent, & Imperatorem nostrum, Poloniam ingressi- rum, ad Vngariæ fines tutandos, retraherent.

Cùm verò Imperator, coniunctionem Poloniæ cum finitimis Christiani Orbis provincijs, toti Imperio & nomini Christiano salutarem & necessariam, ideoque coniunctis Imperij viribus retinendam esse iu-

C 2 dicaret:

dicaret: indicis Imperij comitijs Ratisbo-
næ, in media deliberatione & apparatu
Belli, à D E O, ex huius terreni Imperij
molestijs, in tranquillam & beatam regni
cœlestis pacem & felicitatem è vocatus est,
ipsa die Maxxemyliani, duodecima Octo-
bris, anno superiore proximo: princeps sa-
piens, iustus, moderatus, paterno animo de
publica salute & pace perpetuò sollicitus,
diligens & assiduus in omni gubernationis
officio, clementer tolerans Ecclesiæ puram
Euangelij doctrinam profitentes, & lite-
rarum studia Ecclesiæ necessaria fouens, de-
nique singulari clementia, lenitate, bene-
ficiencia, mansuetudine & comitate pater-
na erga omnes prædictus.

Tantis virtutibus à D E O ornatum
Imperatorem, custodem iustitiae, Legum
& pacis publicæ fidum & felicem, & toti
imperio Germanico salutarem, huic et a-
ti diuinitus tributum, etsi à nobis abductum
esse dolemus: tamen cum D E O euocan-
ti singulos ex vita huius statione reueren-
ter parendum esse sciamus: omissis quere-
lis,

lis, gratias potius D E O, auctori & custodi Imperiorum & principum bonorum, agamus, quod ex domo Austriaca, iam longo ordine, sapientes, iustos & moderatos Imperatores, Orbi Christiano dedit. Quorum erga Principes ac populos sibi subiectos, voluntas fuit paterna, & cursus gubernationis salutaris. Deinde exempla virtutum, quae sunt diuinæ bonitatis & sapientiæ radij, in his laudatis principibus aspicientes, singuli suo loco, ea quæ possunt & debent, imitantur. Præcipue vero Filij Augusti, ad quos, ut regnum, ita virtutum paternarum hæreditas proximè pertinet. Quos quidem D E O curæ fore non dubito.

Opto autem toto pectore, ut æternus & benignissimus D E V S, qui constituit & transfert regna, & dat salutem regibus sibi caris; optimi Imperatoris Maxæmyliani animæ, propter C H R I S T V M redemptorem propicius sit: eamque in Regno suo cœlesti, & cætu sanctorum Regum ac Imperatorum, Davidis, Ezechiæ, Io-

C 3 saphati,

saphati, Constantini magni, Caroli magni,
et ceterorum seruet ac tueatur. Et arden-
tibus votis precor, ut Cæsari Rodolpho, vi-
cem patris subeunti, et publicæ salutis et
tranquillitatis tuendæ prouinciam, hoc
turbulentissimo totius Europæ statu, susci-
pienti, clementer adsit, et pia ac saluta-
ria Ecclesiæ et Reipublicæ consilia, et suc-
cessus in tota Imperij gubernatione felices
et optatos, largiatur: et inclytam archi-
ducum Austriæ familiam, ex qua, conti-
nuos iam trecentos annos, Orbi Christiano
summos Imperatores DEV S delegit, de-
inceps etiam gubernet ac seruet: et dulcif-
simam patriam meam archiducatum Au-
striæ, et vniuersam Germaniam, et or-
bem Christianum, aduersus impiæ et sa-
ue gentis Turcicæ immanitatem, et om-
nium hostium furores, umbra manus sue
omnipotentis protegat et tueatur: ut ho-
spicium veræ religionis et Ecclesiæ Chri-
sti, domicilium iustitiae, Legum, pacis, stu-
diorum doctrinæ, omniumque artium et
virtutum, ac ornamentorum vitæ ciuilis,
tranquillum et florens perpetuò maneat.

Verissi-

Verissima enim vox est Salomonis: Nisi
Dominus custodierit ciuitatem, frustra vi-
gilat qui custodit eam. Et quod alibi apud
eundem Salomonem, regem sapientissi-
mum, aeterna sapientia, Filius DEI, au-
tor & custos Imperiorum & Principum
bonorum, inquit: Penes me est consi-
lium & successus; intelligentia & execu-
tio. Per me Reges regnant, & iudices
iusta decernunt. Per me principes
dominantur, & regnant omnes
iudices terrae. Ego diligen-
tes me diligo, & glorifi-
cantes me glori-
ficabo.

DIX I.



Pd 263



SB

MC



Farbkarte #13

B.I.G.

Black
White
3/Color
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Centimetres
Inches

DE
MAXIMILI-
ANO II. IMP.
CÆSARE AVGV-
sto, Archiduce Au-
striae, &c.

ORATIO
*Habita in Academia
Rostochiensi*

JOHANNE CYRIACO,
LIBERO BARONE in Pol-
haim & VVartenburg &c.
hoc tempore Rector.

ROSTOCHII

STEPHANVS MYLIANDER
EXPRIMEBAT.

Anno 1577.

